

VC  
5167



h.



EPINICIA SAXONICO - AUGUSTA  
 SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE  
 PRINCIPI AC DOMINO,  
 DN. JOHANNI  
 GEORGIO TERTIO,  
 SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MON-  
 TIUMQVE DUCI, S. ROM. IMP. ARCHI-  
 MARESCHALLO ET ELECTORI,  
 LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI  
 MISNIÆ AC LUSATIÆ UTRILISQVE, BURGGRAVIO  
 MAGDEBURGENSI, PRINCIPAL. COMIT. HENNEBERG.  
 COMITI MARCÆ, RAVENSBERGI ET BARBY,  
 DYNASTÆ RAVENSTEINII,  
 FORTI, FELICI, OVANDOQVE REDUCI A  
 VIENNA LIBERATA ET FUGATIS BARBARIS,  
 ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS  
 NOMINE RITUQVE PUBLICO,  
 IPSIS NONIS OCTOBR. IN  
 TEMPLO ARCIS CATHEDRALI,  
 PANEGRICO GRATULATORIO CONSECRATA,  
 ET SOLENNITER HABITA  
 A. MDCC LXXXIII.  
 A  
 GEORGIO CASPARE KIRCHMAJERO.



WITTEBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typogr.



*Handwritten notes in cursive script, partially obscured by the stamp.*

ETERNISSIMO POTENTISSIMO  
PRINCIPI DOMINO  
DM. JOHANNI  
GEORGIO TERTIO  
SAXONIE. JURE. CIVILI. MON.  
ARCHIEPISCOPO. ELECTORI  
SACRO. ROMANO. ARCHIEPISCOPO  
MAGNIFICENTISSIMO. MARCHIONI  
SACRO. ROMANO. ARCHIEPISCOPO  
COMITI. MARCHE. AUSTRIACAE. ET. SARDAE  
TERTIO. TITULO. SACRO. ROMANO. ARCHIEPISCOPO  
ACADEMIAE. VIENNAE. AUSTRIACAE  
TITULO. SACRO. ROMANO. ARCHIEPISCOPO  
SACRO. ROMANO. ARCHIEPISCOPO  
SACRO. ROMANO. ARCHIEPISCOPO  
SACRO. ROMANO. ARCHIEPISCOPO



WITTEBERGAE, Typis Christiani Schönbeyni Anno 1708





RECTOR  
ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS,  
VVERNERUS THEO-  
DORUS MARTINI,

SOLTQVELLA-MARCHICUS, J. U. D. ET  
PAND. P. P. SEREN. ELECT. SAXON. IN SUPREM. AP-  
PELLAT. JUDICIO CONSILIARIUS, CONSISTORII EC-  
CLESIAST. ET CURIÆ ELECTORALIS, SCABINA-  
TUS ET JUDICII DUCALIS INFERIORIS  
LUSATI ASSESSOR,

*CIVIBUS ACADEMICIS*

*S. P. D.*

**I**N fastos referenda est forti-  
tudo Saxonum, quos Princeps El. JO-  
HANNES GEORGIUS III. sub signis  
suis contra barbaros eduxit, & manu  
consilioque promptus, in belli discrimen  
se obtulit, in totoque certamine, diu ac  
animosè impetum solus sustinuit, & Cæsarem pariter at-  
que augustam urbem, profligatis hostibus, è periculo e-  
ripuit, armisque victricibus liberavit. Mirum dictu, &  
quod oblivisci turpe sit, mireturq; sera posteritas, tam bre-  
vi tempore tantam hostium vim repelli, tantasq; vires  
confici potuisse, ut periculum simul à finibus, & vasti-  
tas ab Imperio averteretur. Qua in re PRINCIPUM ma-  
ximo jure gratulamur, cujus ductu libertas reipublicæ,  
& sa-

& salus Christiani orbis defensa est, jugoq̄ve depulso, ac metu sublato, furor & tumultus conquieverunt. Enimvero spem nostram, & Europæ expectationem vicit Princeps, & MAURITIUM belli fulmen celeri conatu imitatus est, sed feliciori exitu robur infesti agminis fregit atque dissipavit. Quod gaudium verbis exprimi non potest, & in animis insidet, penitusque infixum est, cietq̄ve plausus, & vota publica exprimit, ut PRINCIPI EL. ex pugna, fuis fugatisq̄ve hostibus, reverso acclamare ordiamur. **SERVASTI REMPUBLICAM: SUPERASTI HOSTES: IMPERII DECUS ET PRÆSIDIUM ASSERVISTI: DEUS TE, PROGENIEMQUE TUAM ET VICTRICEM DOMUM TUEATUR.** Cujus & singularis & solennis lætitiæ pietatisq̄ve Interpres erit Orator Academiae dexterrimus celeberrimusq̄ve, DN. GEORGIUS CASPAR KIRCHMAJERUS, Collega vitæ doctrinæq̄ve officiis conjunctissimus, qui, peractis à meridie sacris, in Templo Arcis gravi ac luculenta oratione victoriam superiori mense partam exequetur & celebrabit. Quare omnes honoris nostri cupidos obsecramus, Cives autem enixè hortamur, dato Campani æris signo, ad audiendum Ordinis nostri Oratorem frequentes & læti conveniant, & exploratam SAXONIS fortitudinem, maximamq̄ve post homines natos constantiam, & probatam AUGUSTO in adversis fidem recolant, & laudes in concione dicendas nutu silentioq̄ve venerentur. Quod PRINCIPIS nullo labore fatigati, nullisq̄ve periculis terri magnitudo & merita sibi vindicant, ac non magis necessitatem obsequii, quàm animi compositi sanctitatem, & recordationis officium justum debitumq̄ve postulant à vobis atq̄ve expectant. P. P. Sub sigillo Academiae Dominica XVIII. post TRINITATIS, anno recuperatæ gratiæ clō Ioc LXXXIII.

**RECTOR**



RECTOR MAGNIFICE,  
 PATRES ACADEMIÆ CONSCR.  
 Proceres Gravissimi, Collegæ atq; Ho-  
 spites Ord. omnium Honoratissimi,  
 & Vos Nobilissimi Florentissi-  
 miq; CIVES:

**M**Ajorem admiratione omni-  
 rem, & merito stupendam  
 posteris exponere aggredi-  
 or; trecenta hostium cum  
 conjuratis armis millia, ex tribus Orbis ha-  
 bitati partibus, Europâ, Asiâ & Africâ, nec  
 obiter, nec sine machinis fulminatricibus  
 ducentis circiter, ad Christiani nominis  
 terrorem, ad everfionem Augustissimæ  
 Metropolis coacta, aut in supplementum  
 alibi servata, per compendium memora-  
 turus, & potissimum recitaturus Deo gra-  
 tias, Augusto SAXONUM OCTOVI-  
 RO submissam gratulationem. Venit,  
 vidit, vicit cum exercitu virtute potius,  
 quàm numero spectabili, universas inter,  
 A quæ




quæ ad refrænandam barbarorum rabi-  
em confluxerant, auxiliariorum copias,  
ab audentiâ primus; primus inquam, qui  
in castris Muhammedanorum munitissi-  
mis victricia defixit signa, Herculiq; sci-  
licet extorsit clavam, (nam quid aliud tor-  
menta sunt?) nec simplicem; in fugam a-  
ctis & mulctatis malè Thracibus, ELE-  
CTOR Serenissimus SAXONIÆ, eva-  
ginato ense, cum imperio supremo inter  
suos volitans, sinistrae ductor alæ ordines,  
non rediturus antè, quàm vidisset supera-  
tum hostem, rediit incolumis ad nos di-  
vinâ ope Dominus & Nutritor Clemen-  
tissimus.

*Credetis? Imò credite posteri! Inauspicato sidere lugubrem  
Fusos pudendo Bistonas impetu Mœrere Lunam; jam profuga  
Cessisse, & infaustis redemptam Cedunt Tyrannorum pbalanges,  
Funeribus Scythicis Viennam: Penè metu glaciante Pontum.*

Quasi ad fastigium felicitatis gloriaeq; e-  
nitendum foret, nostra tandem desideria  
cumulatisimè explevit Deus, & effecit, ut,  
qui paullò ante anxii de Imperii salute hæ-  
rebamus, arma nunc victricia in hostico  
experiamur. Auspicatissima nimirum  
sup A Chri-





Christianis, barbaris funesta, hostibus Imperii invisa, exoptata bonis, paucis certè expectata istiusmodi illuxit dies, uti nemo non intelligat, quàm ineffabiles reddendæ Numini sint gratiæ: quandoquidem haud minùs turpe habeatur, beneficii dissimulare maximum autorem, quàm ipsius beneficii malitiosè oblicisci; accedit pariter immensa gaudiorum seges. nam si quando uni Regum Principumve obtigit materies lætandi & hoc nomine congratulandi, quid non fieri oportere arbitramur in Regnorum atq; Regionum plurimum salute ac securitate reparatâ? Quæ si universa persequi dicendo laudandoq; niterer, quemadmodùm hoc tantum nullis terminis cludatur beneficium; varendum esset, ne Oratio tam facilem sit habitura finem. Modus igitur videtur adhibendus aliquis, si minus gaudiis, at certè stylo. Quid enim verò mihi primum feligam in sylva tam amplissima? aut quid instituiam, ut mox appareant postrema? Principum finitimorum, atq; Invictissimi ipsius **POLONORUM REGIS** gratulationes, munera, & officia, in publico gauden-

dendi referam? Dicamné acclamationes,  
 plausûs, Conjugis sapientissimæ, Augustæ  
 Matris, Principumq; Juventutis, Ordinum  
 ex omni genere ac Civium? confusionem  
 hostium fugamq; & cum damnis gemitûs  
 præteream? Deus, Deus, qui omnipo-  
 tenti manu hæc perfecit, & in turpissimam  
 coniecit fugam hostes, gratias reposcit pri-  
 mus; qui allegatas toties audivit preces,  
 totq; celebratas cum justitio solenni sup-  
 plicationes ratas habuit, & fortunatissimis  
 eventibus beavit. Affine tamen super-  
 stitioni cultus minimè omnium propitia-  
 re Numen sacrosanctum possunt: non  
 vel missæ faciendæ Missæ; non jactata e-  
 tiam Passaviensis statuæ miracula; non  
 faustæ avium, aut Avianorum omina, ca-  
 ptata à demortuis, quantumlibet receptis  
 partim coelo: non prodigiosi actus pro-  
 cessusqve, nisi divinitus præscripti.  
 Hæc se ratio commendat Deo, mens illi  
 unice addicta, pietas antiqva ab Oraculis  
 infallibilibus determinata, purior Religio,  
 quam per Romæ maximos Pontifices à  
 multis inde seculis contaminata. Hoc  
 Ancile coelitus delapsum, hoc Palladium  
 voca-

vocavimus in partes, qui & domi, &  
in templis, qui ad aras ac altaria, cum im-  
puberibus infantulisq; nostris, pro salute  
LEOPOLDI Cæsaris, pro Imperii securi-  
tate fatigavimus Omnipotentem seriã  
communionem precum ardentissimarum.

TIBI. RERUM. HUMANARUM  
ARBITRO. SUPREMO.

MILLE. MILLE. LAUDES.

MILLE. MILLE. GRATIÆ.

DEVOTA. VOTA. MERITO.

SOLVUNTOR.

QVOD. POST. FUGATOS. AUXILIO.  
COELESTI. BARBAROS.

INCOLUMEM. SERVASTI. PATREM. PATRIÆ.

AC. REDDIDISTI. NUPER.

*Ergo adeste, facta cunctis*

*Cernite admiranda seclis*

*Acriusq; expendite!*

*Funesta belli incendia sustulit,*

*Fregit cruenta spicula lancea,*

*Contrivit arcus & volucres,*

*In cinerem minuit quadrigas.*

*Venite, adeste, & cernite non prius Jo Triumphum! ter resonabilis*

*Audita mira, incognita, qua Deus Respondet echo! mox iterum sonat,*

*Patravit in terris ab ortu*

*Jo Triumphe! ter procella,*

*Solis, ad Hesperium cubile.*

*Ter tremula crepuere flamma.*

B

Festi-

Festinanda autem pietas, ne indignationem subeam eorum, quos in partem commendabilis incoepti, minimus interpres gaudii venturos esse spero; nec non metuendum mihi, ne, cum cæteræ Provinciæ, inò REX ipse POLONORUM Augustissimus, ad gratulandum properarint; si morarer longius, & nostra serius se Academia offerret, aut ad obsequium accederet postrema, quæ ab Electorali nomine non planè ultima censetur dignitate. Quando tamen & à temporis inopia Oratio laborat, & ab itinere vacillat adhuc calamus, ut ingenii exiguitatem in re tantâ, & historiâ ad seros transmittendâ posteris, jam non allegem; vestrum erit, AUDITORES O.O. Honoratissimi, benevolentia supplere, quod adhuc in multis deficit. Gratulaturus tantum Universitatis nomine religioso, non vel obsidionem Imperatoriæ Urbis, aut illius liberatæ statum, tantò minùs aliena descripturus sum præconia. Nec etiam hanc veniam aut operosius eblandiar, aut studiosius sollicitabo, ne Vestræ in me spei videar diffidere; aut parùm memor annis jam  
supe-

superioribus perspectæ bonitatis, fiduciam in illâ reverenter collocabo. Ne tamen justo etiam verbosior videar dicendo, aut excurram longius, compendiosum redigam in ordinem narranda.

Nobis sanè semper illa dies super cæteras dicetur felix, quæ victoriæ primordia reliquit Nostris, ignominiamq; barbaris: digna festis ignibus, qui luceant per compita viarum: digna, quæ missilibus spectaculis coruscet: digna, quæ ter repetitis ictibus remugiat fragore tellus, à tormentis tremefa ita: digna, quæ à multiplici emblemate ornentur statuæ, sulphureisq; jaculis pyramides hûc illûc fulgurent. Qvò dum gaudemus tempore, gaudemus munere divino sanè; à qvo cum nihil quicquam profluat, quod absolutum haud sit; an non à nostro Principe sperare tantum decet, quantum à coelesti Providentiâ tributum illi est? Postridiè Kalendarum Septembris (qui in Julianis fastis quartus est Nonarum, multis maximè notabilis exemplis dies, qvo Augustus Imperator prælio navali vicerat ad Actium Triumviri Antonii ingentem classem, & imposuit

suit

fuit civili bello finem; quo Hungariae exi-  
 tialis Solymanus Anno post coeleste pu-  
 erperium millesimo quingentesimo qua-  
 dragesimoque primo Budam, urbem prin-  
 cipem dolose interceptit; quo plura hic  
 non adducenda alia, inprimis Austriae  
 fatalia contigerunt olim) inter lucis du-  
 biae crepusculum, è tormentis ignibusque  
 data tesserapro more à Saxonibus; discrimi-  
 nis initia desiderata, & tentata pariter  
 à fortissimo Electore Duce JOHAN.  
 GEORGIO III. Cecius mons oc-  
 cupatus pridie per loca praeliandi qui-  
 dem iniquissima (ut minimè permittere-  
 tur Equitatu accessus,) sed per quae pene-  
 trare posse neminem putarant barbari se-  
 curiores, donec ad insidias conversus ho-  
 stis, montium angustias & aditus, per mis-  
 sos eò milites praetorianos (vulgo Janiffa-  
 rios appellat,) serio sed sero studuit munire.  
 Temerè ad velitationem profiluerant de-  
 litescentes: ab utroque enim latere parati  
 aderant, qui artificiali fulmine è manu  
 missili, (Granata mala nominant, vel Pu-  
 nica) in barbaros subjectos detonarent,  
 talia inferre, aut perferre jacula in vetos  
 homi-

homines. Quid fit? conjiciunt in pedes se, & liberum relinqvunt transitum. Turbantur castra Scythica, in quorum propugnaculis, & fossis multa Tattarorum millia latebant: nec tūm tamen de Viennā expugnandā desperabat Purpuratus cum imperio supremo princeps, (quem Vesirium prægrandem sui vocant,) evibratis jam jam inter præliandum globis tormentariis eò maximis; securus de nostris, quos coactos hinc & inde milites, colonos, lixas, inexpertos, & Danubio mox demergendos, Thraso spreverat. Instabant coeptis Saxones cum Peditatu suo, Excellentissimo Heroë GOLZIO, Præfectoro belli cum imperio, post præsentem Electorem, summo, (qui tūm minabatur alium à latere propugnaculi assultum, aliumque intentabat hostibus,) accuratissimè per lineas dispositi & agmina. In Turcicis conclamabatur castris, cornua & tympana cum buccinis ubique personabant, falsa numina implorabantur, ac in arctiora, id est tutiora, recedebant Thraces. Per primas tres diei horas, (certa & comperta loquor,) validissimè pugnatum est à SAXONE

C

XONE

XONE OCTOVIRO, non Imperatoris  
 modò, sed & militis quandoq; partes (nul-  
 lum quippe formidaverat periculũ, quan-  
 tumvis præsentissimum offerret sese,) ob-  
 eunte. Obstupefacti ad inusitatæ fortitu-  
 dinis miraculum hoc barbari, & irrumpen-  
 di impetum, cum tela, spicula, globosq;ve  
 è minoribus bombardis missos parùm  
 cernerent prodesse, mox confugiunt ad  
 colles, petituri à majoribus tormentis a-  
 liqvod præsidium. Sed frustra iterùm.  
 explosi enim temerè supervolabant glo-  
 bi Martii: urfere opus Saxones & de sta-  
 tione illâ illas depulere bestias, & pri-  
 mi omnium (notate posteri! notato livor  
 hæc dissimulans!) in castris Turcicis Sa-  
 xonica fixerunt signa.

*Hic SAXO noster collaminantiũ Tristesq; fumos & nebula globos  
 Fumosq; & ignes contudit angviũ, Latèq; misit Tartareos bolos,  
 Cristasq; & immanes gigantes Strages Gelonorum & cadentũ  
 Fulmineo tremefecit ictu, Scuta Virũm galeasq; volvit.*

REDIMAT. ÆTERNA. LAURUS.  
 IGITUR. OCTOVIRUM.

JOH.



JOH. GEORGIUM. TERTIUM. QVI.  
LEOPOLDI. CÆSARIS.  
RELIGIOSISSIMI.

NON. FIDUS. SALTEM. SED. ET.  
FELICISSIMUS. ACHATES.

AD. PALMAM. NON. OLYMPICAM. SED.

VELUT. AD. OLYMPUM. PROPERANDO.

CHRISTIANÆ. REI. VINDEX.

FORTUNAM. SIBI. NOVAM. SAGIENDO.

ITER. PRÆLIUM. ET. TANTUM. NON. EXTREMA.

CUM. EXERCITU. SUBIVIT.

MERITIS. NON. DEFRAUDANDUS. PRÆMIIS.

Erant nihilominus, qui causabantur operis institutiq; magnitudinem, & ingentis molimenti longiores moras requirebant: nihil perfectum subito enasci: illi cunctabundam in consilium prudentiam vocabant; quorsum evasura essent orsa, oculorum fide testaturi: secus interpretabantur aliqui presentiam festinabundam; (cum fortes fortuna tamen adjuvet,) negabat generose GOLZIUS, confuso & consilii ignaro ex arenam capiendi hosti, altero tanto adhuc numerosiori omnibus Christianorum copiis, concedendam

dam moram, invadenda castra propius,  
 & pernoctandum sibi hodiè ( sic jocaba-  
 tur serio, ) Viennæ. Docuit eventus,  
 quàm rectissimè, ac comprobavit non  
 solummodo sententiam, sed & instructis-  
 simo ex selectissimis exercitu, XXX. milli-  
 um & multò ampliori REX Poloniae Po-  
 tentissimus, JOHANNES III. factò con-  
 firmavit: ubi Augustalis Dux Saxoniae,  
 requirens? Cùm renuntiatum esset, inter  
 hostes confertissimos versari illum & pu-  
 gnare fortiter: non deserendum FRA-  
 TREM & COMMILITONEM suum, (i-  
 ta illum salutaverat) existimavit. Tulit i-  
 taque suppetias, ab antemeridianà nonâ,  
 usque ad diei vesperam, cum hostibus,  
 cum fumo, ignibus, ac ensibus colluctans,  
 ipsam cum Cyclopibus invadit offic-  
 nam, & pudendam extremamq; agit in  
 fugam, prædâ horum incredibili nec non  
 opimis spoliis potitus. Erunt, qui Tra-  
 jani hujus merita deprædicabunt Plinii e-  
 logia, & Servatorem gentis Austriae ac re-  
 gionis, fulmen denique Sarmaticum ad-  
 versus barbaros vocabunt.

TU.

TU. PRO. VICTORIATO. MUNERE.  
ADAMANTINUM. DE PANGE. CLAVUM.

O. SAXONIA. AUGUSTA.  
DIEM. MEMORABILEM. PERENNIB.  
INSCRIBE. FASTIS.

GRATIASQVE. REDDE. DEBITAS.  
ÆTERNAS. DEBITURA.

PRO. SALUTE. PRINCIPIS. PRO.  
ARIS. ET. REP.

LÆTABUNDO. OMINE. FER. VOTA.  
UNIVERSITAS. ELECTORALIS.

Simile à multis retrò seculis exemplum  
in historiâ antiqviori ægrè, in Saxonica  
omninò nullum deprehendas. Mirum  
igitur haud videatur, quod de Franco-  
Gallis habetur in proverbio, exitiales aut  
terribiles Ottomannorum dominatui hos  
sæpius apparuisse, si de Saxonibus Albia-  
nis, horumq; Rege, (veluti eorum Princi-  
pem appellant barbari,) in posterum ja-  
ctare idem soleant. Non hîc silentio  
premenda virtus & prudentia Incom-  
parabilium Heroum foret plurium,  
FLEMMINGII potissimùm, Legati co-  
piarum Generalis & Præfecti cum impe-  
rio

D

rio

rio, si id ageremus, ut historia conscriberetur: sed hæc suum quoque Cajum Julium manebit. Nos ad castra Turcica respicimus, amantiores brevitatis. Animis subjicitote vestris castrum, AUDIT. interclusum fossis, molibus aggestum, aggere continuo, reductu, propugnaculis, loriceis, obice, ac stationibus munitum, portis, tignis, & quadrato, ubi opus videbatur, lapide constructum, à ducentis millibus initiò infessum; auro, armis, & bellorum apparatu omni validum, annona atque commeatu plenum, mapaliis & papilionibus distinctum, bubulis, camelis, mulis, eqvis inerrantibus refertum, signis & vexillis militaribus insigne; concursantes homines ex Dacia, Thracia, Scythia, Illyrico, Dardania, Albania, Græcia, ex Ægæi maris Insulis, ex Macedonia, Epiro, Syria, Ægypto, Palæstina, Media, Chaldaea (& quis vasta omnia enumeret Imperia, aut Regna potentissimi Sultani?) illâ parte montibus excelsis aut vinetis redimitos, parte alterâ Danubio, maximo latissimoque flumine prætextos, ab angustiis viarum aditu difficiles; intelligetis castra

castra Turcica, immani ambitu & ultra octo passuum millia extensa. Hæc, hæc aggredi, invadere, oppugnare, ac confundere (res est miraculo affinis,) Saxones audebant nostri. Quod si autem vel in hoste dignum iudicatur laudibus, invidia virtutem non obterere; quis meum in laudatione Principis Fortissimi conatum improbabit? Quis Caroli istius Vti. maximi post Magnum Cæsaris potentiam, & cum prudentiâ incomparabilem experientiam in rebus bellicis ignorat? Intra limites se continebat Austriae, non oppugnando Solymannum, non ad prælii discrimen provocando ferocissimum Tyrannum, qui cum tot myriadibus lectissimorum militum in Pannoniarum & vicinas regiones infundebat sese, ac Viennam ultra septimanas IV. obsidione cinctam tantum non spe devorârat. Ad moenia hærebatur, aut ad flumen, nonaginta millium exercitus virorum, ut & tueretur Urbem, & minaretur minitantibus exitium. Magnoperè miratur equidem, habetqve pro imbelliâ exemplum Caroli gravissimæ auctoritatis scriptor Italus, GREGORIUS nimirum LETI,

1110)

LETI, quòd non eduxisset in arenam bellatores tot fortissimos, viresq; validas Europæ Christianæ cani ostentasset rabido, sed ad tuenda saltem mænia servasset copias; cùm omninò meliùs fuisse actum videretur, si antevertisset hostium insultus inter montium angustias & opportuna loca. Cui enim bono ad unius Civitatis munitissimæ protectionem cogere tot millia, non congregari cum provocante? An non Carolus confiteretur, viribus & animis Turcarum se inferiorem meritò existimari? Ita ille propior omnino exprobranti. Aliter PARUTA, Venetus Patritius ac Procurator in politicarum dissertationum ultima, examinando rationes varias, concludit: admirandam esse Caroli prudentiam ex eo, quòd prætulit incertis tuta, media præruptis: fortitudinem pericula non propulsando tantùm, sed & sustinendo exerceri masculè. Sub signis habuisse Cæsarem Germanos, Italos, Hispanos, Dalmatas ac Pannonos cum Dacis, moribus, ingenijs, lingvis atqve animis diversos ac adversos sibi; adeò ut sæpè in seditiones, concertationes, & discordias civiles  
(cùm

(cùm in primis milites Centurionibus, militibus Centuriones odiosi, aut ignoti essent,) res abiret: prudentissimos Imperatores bellicos fortunam prælio non commisisse facilè, nî plures alios Exercitûs habuerint in supplementis: pugnandi avidissimum vinciq; inassuetum Solymanum plures hominum myriadas opponere vicissim posse nostris ex Europa, Asia, & Africa; & quæ id genus alia momenta addi possent. Aliæ sunt tamen viæ Numinis, & alia sunt hominum judicia. In factis hæc videl. fuisse, admodum propitiis, revincam. nam si altiori mente bonitatem Dei incredibilem hanc mecum volvo, cui universa in acceptis referenda est victoria, minùs oppidò, quàm debeam, de prædicè. Accipitote omen interim, & magnum gloriæ præludium. Vix fama nuncia infelix Principis ad aures retulit inexpectatam ipsi Cæsari Piissimo obsidionem Urbi imminentem, dum conscriptum è præsidiiis, castellis, urbibus, oppidis, municipiis, vicisq; militem in mediocrem convocat Exercitum, (qui, dempto Aulæ comitatu frequentissimo, apparatusq; rei tormentaria,

E

riæ,

riæ, undecim ac paulò amplius explebat millia, ) & vasa colligi extemplò jubet, lustrat, stipat necessariis, paratus omnium & suam pariter salutem pro salute Cæsaris deponere. Ibat ovans animis & Deo duce, maximâ majorem omnibus fiduciam insinuabat. Non Augusta illum Mater., non Conjux Serenissima, non Principales Filii, adhuc dum minorenes, non Equester ordo, ( qui tùm in Comitiorum arctiore aderat confessu, ) nec eorum, qui à consiliis sanctissimis fuerunt, intercessionibus, precibusq; mistæ lacrymæ ab hoc proposito constanti dimovere potuerunt. Gravitatem belli & periculorum non exhorruit, sollicitus de alieno magis, quàm de suo; si Germaniæ libertas tamen & Imperatoris salus aliena de Heroë tam Augusto dici potest. Ja stet suum Roma Decium, pro militum salute semet devotentem: pro salute Cæsaris & regiæ & regionum PATER PATRIÆ se Noster obtulit. Agnoscant fidem beneficiumq; hoc, ut Imperator ipse laudabiliter testatus est, sic illi quoq; homines, qui parùm sentiunt benignè de nostratibus. Religionem desinant



nant vi propagare, quæ verbo potius cœlesti, quàm terrestri ferro persuadetur. Agite quid lucri, quidvé gaudii reportaturi erant, ne de ignominia perenni dicam, sacerdotes in Germaniâ Romani, si postri- diè, quàm liberata fuerat Vienna, trux aut Thrax ille Hannibal in Capitolio potuisset epulari? proditæ videlicet ac perditæ Imperatoris optimi provinciæ hæredita- riæ fuissent universæ. O mercari cautiùs in posterum discamus, propter Christiani nominis fatalem incubum, immensa semper incrementa ex civilibus disidiis ca- ptantem.

*Nondum minaci cornua Bosphoro    Auditis? Istri littora personat  
Decussit audax Pontus, & efferis    Ferale cornu; jam capita Alpium  
Servire Neptunus Gelonis    Magnaq; respondere montes  
Turpe gemit. — —    Ausonia, novat arma Mavors.*

Contorquentur mutuo furore horum te- la, jugulisq;ve ensis bile medicatus jam im- pendet, quorum utracunq; pars superior ex acie decedat, flebilem ex fratrum san- gvine triumphum reportabit. Verbo ex- primam, quod res est, incolæ, amici & vici- ni, inter quos olim fide mutuâ concerta- batur, in sui ultimam utrinque internecio- nem

nem conjurati ruunt: absorbente interim, diluvio exitiali velut, Servatoris sanguine redemptum Christianum sanguinem Tyranno. Infani apparatus (utinam sim vanus augur!) effervescent, influent ab integro immensæ copiæ, quæ monstrorum omnis generis & machinarum tractu in terrorem adigent superbos. Revocate in memoriam, quæ, quanta mala, brevi licet tempore, pertulerit Vienna desolata! quas molitiones, quosque aggeres, cuniculos, insultus, barbari jam expediverint; dum explosione tormentorum horribilium labefactarunt mania vallumque, dejecerunt turre, tecta & palatia, expleverunt fossas opere congesto, conscenderunt propugnacula; dum in exercitu immani alii aliis, defessis integri, convulneratis sani, etiam ad quadraginta millia per horas sæpe quindecim succederent. Sed quò dilabitur Oratio, commiseratione Viennensium malorum vaga? Desinant Bambaliones isti igitur, qui vel livore, vel affectus oestro agitati alio, pars supprimunt silentio divinam partam indulgentiam hanc gloriam, pars invident **OCTOVIRO JOHAN-**

HANNI GEORGIO III. cujus, ut fa-  
cerent victoriæ initium, semelq; initum  
discrimen, etsi valdè adhuc, ceu est for-  
tuna belli, dubium, cum sociis ex Germa-  
niâ & potissimum Polonia copiis fortissi-  
mis, ad exoptatum exitum continuarent,  
milites impransi quidem, sed honore ac  
fervore saturati Saxones fuerunt. Com-  
mitones strenuos in universum vos,

*Vos bellicosi littus Enipei,*

*Multoq; canum frigore Caspium,*

*Vos Cydnus, & levis Scamandri,*

*Vos refugi pavet unda Xanthi.*

Cur Thraones fugitis? cur, gloriosi mi-  
lites, qui paullo ante cum Pannoniis, tum  
Austriæ provinciis extrema omnia mini-  
tabamini, nã ad adorandum vos vestrumq;  
impostorem Muhammedem Christiani  
convolarent & procumberent, cur nunc  
abjectis animis, abjectis sarcinis, abjectis  
clypeis, relictis machinis, relictis castris,  
soliciti de vita tantum, fædè fugitis? Ter-  
rorem nempe panicum immisit Sissaræ  
Omnipotens: discordes ac meticulo-  
F los

los Asiaticos & ex invisa Africa Midiani-  
tas Deus reddidit. Purpuratorum prin-  
ceps

*Reliquit aurum, non sine gemmeo      Inexpiato pollue Tartara*  
*Circumsonantis fulgure balthei,      Tyranne leto! pestis & igneum*  
*Grato catenarum tumultu      Insume Cocytum, & frementem*  
*Deseruit timidus rapinam.      Sulphureis Acheront a ripis!*

Audio infufurrantes aliunde alios: ast  
ubi illa Saxonum jaçtata sine spoliis me-  
morabilibus victoria? Contentus glo-  
riâ videlicet, sub poenâ capitis edici per  
præcones Imperator militum Saxonico-  
rum jusfit, ne quis inhiaret prædæ, ac pul-  
cherrimum victoriarum (sæpè olim isto  
fascino deperditarum) cursum interrump-  
peret! quisque inter suos ordines & a-  
gmina consisteret, redintegrando aptus  
prælio, si non evanisset hostis. Præstò  
tamen etiam tormenta magna, medio-  
criaqve sunt, adempta barbaris. Camelos  
taceo, & captivos, vel inter præliandum  
hûc illûcque dissipatos, vel propter com-  
meatus necessarij inopiam neglectos, aut  
abjectos. Non sunt interim prætereun-  
da missa muneri vexilla, equi, phalerae  
à Glo.

à Gloriosissimo SARMATIÆ AU-  
 GUSTO. Alexandrum illum Græciæ  
 Asiæqve domitorem scriptor elegans di-  
 xisse memorat, cum à Parmenione mo-  
 neretur de accipiendis opibus & aliis ob-  
 latis à Dario: facerem, & pecuniam,  
 quàm gloriam mallet, si Parmenio essem;  
 nunc Alexander de paupertate securus  
 sum: & me non mercatorem esse, sed  
 Regem memini. Nihil quidem habeo  
 venale, sed fortunam meam utiqve non  
 vendo. Singula non persequar, ne ve-  
 stram, AUD. patientiam diutiùs fatigem;  
 non possum tamen abs me impetrare,  
 quin actum Martiis operibus contextum  
 sacrum sistam. Adventantem post per-  
 actum prælium, & barbaros fugatos Cæ-  
 sarem, ovantis instar comitatus, non  
 composito ad pompæ speciem aut lu-  
 xum habitu, sed militari sagulo ad Tem-  
 plum, quod ad D. Stephani Viennæ sum-  
 mum dicitur, deduxit, non interfuturus  
 Pontificiorum istis ceremoniis, ad super-  
 stitionem factis, SAXO ENSIFER.  
 Illius gloriæ non intermorituræ unquam  
 milita-

FK 205/167

24.

militabit consecranda hæc pro clausulâ  
Epigraphæ:

QVI. SE. ET. CARITATES. SUAS.  
OMNES.

PATRIAM. AULAM. MILITES.  
ORDIN. SUBDITOS.

PRO. CÆSARIS. ET. PRO. IMPERII.  
SALUTE.

PRO. GERMANORUM GLORIA.  
PRO. LIBERTATE. AUSTRIÆ.

PRO. SAXONUM. ANTIQVO.  
REGIOQVE. NOMINE.

DEVOVIT. ET. EXEMPLUM. DEDIT.  
UNIVERSIS.

QVANTI. FACERE. REM. CHRISTIAN.  
DEBEANT. VICTORIAM. SINE.  
EXEMPLO. MAXIMAM.

PRO. VIRILI. SUA. INCOANS. AC. PROMOVENS.  
ADVERSUS. BARBAROS. IMMANI. MOLE. TURCAS.  
ELAPSOS. TURPITER. NOCTURNA. FUGA.  
CLYPEIS. ET. SPOLIIS. ABJECTIS.

MERUIT. UT. ÆTERNÆ. MUNERIS. MEMORIÆ.  
HOC. MONUMENTUM. CONSECRARET.  
ILLIUS. NOMINI. AC. NUMINI. DEVOTA.

ACADEMIA. WITTEBERGENSIS.  
DIXI.









h. 41 57.

Vc  
5167

EPINICIA SAXONICO - AUGUSTA  
SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE  
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. JOHANNI

GEOR

SAXONIAE,

TIUMQVE D

MARESC

LANDGRAVIO

MISNIAE AC LUS

MAGDEBURGENS

COMITI MA

DY

FORTI, FELI

VIENNA LI

ACADEM

NOM

TEM

PANEGYRICC

ET

GEORGIO

TIO,

E, MON-

P. ARCHI-

TORI,

MARCHIONI

BURGGRAVIO

HENNEBERG.

T BARBY,

REDUCI A

BARBARIS,

GENSIS

CO,

ALI,

INSECRATA,

A

IMAJERO.



ET A TURC. TRIUM-  
PHALIS.

WITTEBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typogr.



*Handwritten notes in cursive script.*